7.

MONS PINCIUS

CARMEN

PETRI ESSEIVA

MONS PINCIUS



CARMEN

Aestifer ut findit sitientes Sirius agros,
Frigora seu spirans tristis Capricornus eosdem
Constringit, cano sternit dum vellere montes,
Defessum gelida vatem modo Pincius umbra
Detinet, algenti sedes modo praebet apricas
Dilectus coelo collis, quem mobilis annus
Non opibus florum, frondis non nudat honore.
Hunc nec funestus vitiatis Africus unquam
Exurit flabris, Scythica neque missus ab Arcto
Desolat Boreas; Zephyrus sed lenis amoeno
Deprensus luco, tenues inflectere virgas,
Aut salientis aquae pugnat torquere cacumen.
Mollia Daedaleus serpens per gramina callis
Fallit inexpertum, gratisque erroribus inter
Omnigenos ducit flores nemorisque recessus.
Ausoniae campis quae sponte feracibus arbos
Truditur, Eois repetit quae semen ab oris,
Quaeque magis rigido contenta est sidere, ramos
Se sociare stupent communem et porrigere umbram.
Ad summum levis patula nutansque corona

Exsuperat lucum praecelso vertice pinus;
Laurea tum Phoebi, monumentum imitata cupressus,
Apta larix facibus, curvis abiesque carinis,
Et myrtus pallens, et late brachia fundens
Aesculus, enodis platanus, proceraque palma
Efficiunt scenas, foliorum ac tegmine laeto
Infantum ludos, aevi juvenilis amores,
Longaque tutantur memoris lamenta senectae.
Plurimus, ingressum monitu servantis Hygiae,
Civis adest, nec cive frequens minus advena; Gallum
Ipse tibi incessus prodet ventosaque lingua;
Nam quodcunque solum calcat pede Gallus herili,
Atque probat proprios, alienos arguit usus.
Cui si gemmanti dederint succedere Olympo
Fata, sibi sua reddatur Lutetia tantum
Orabit; mensis detur si accumbere divum,
Pro dulci ambrosia patriae portenta culinae,
Sequanae et infectos latices pro nectare poscet.
Ridet ad haec secum, frontem paulumque serenat
Verborum parcus, rigida compage Britannus,
Quem malus haud error, Latii sub sole tepenti,
Impellit Tamesis nebulas laudare tenaces,
Londinive nigra squalens fuligine coelum.
Sed quavis ortam jactet se femina gente,
Pars minor ipsa sui, cupit ostentare paratus,
Inventas modo munditias, emptamque comarum
Luxuriem, tumidae immodicumque stolae incrementum.
Sin autem viridis labyrinthi ambagibus opto
Extricare pedem, speculaque meare patenti,
Jam majora mihi mulcent spectacula visus.

Relligione potens orbis caput, inclyta Roma
Panditur ante oculos; celebratae vatibus arces
Templorumque tholi, dudumque ruentia priscae
Atque novae apparent monumenta perennia laudis.
Sacrorum o quam te, sedes augusta, tuenti
Indignae sordent hominum curae, ocius utque
Cor micat, insueto flagrat dum pectus amore!
Quippe tuum gentes quod jam formidine nomen
Complebat (pia nunc volvunt sic numina), pacem
Justitiamque sonat, magni tum vivida quidquid
Mens capit et solers multa manus exigit arte.
Ante ergo exspatians lambet tua moenia pontus,
Ante suos Tiberis verso repetet pede fontes,
Rexque Subalpinus Capitolia celsa tenebit,
Quam nostro tua corde ingens abolescat imago.
  Euronotum versus prospectum extrema Quirini
Magnificis arctant penitus juga consita tectis,
Esquiliasque tegunt; superantem longius arcem
Cernis Aventinam, vasto dum fertile contra
Janiculum tractu nemorosa cacumina tollit.
Quod prope Pontificis splendent, urbs altera, rupe
Vaticana aedes, aliique simillima coelo
In coelum surgunt sacri fastigia templi.
Dejice nunc acies vallem qua Pincius imam
Contingit, praebent turritaque moenia portam:
Flaminiam antiqui, Populi hanc dixere minores.
Quod nomen portae, pariter junctoque Quirites
Imposuere foro; locus est quoque nomine dignus.
Circuitum geminus signans immania murus
Fert simulacra deum; Sphinges utrinque triformes

Despectant plateam, medioque obeliscus in orbe
Recta stat mole, Aegyptus quam prisca Syenes
Rupibus excisam, coecis aspramque figuris
Sacravit Soli, posthinc insigne tropaeum
Actiacus victor dominam devexit ad urbem,
Restituitque tibi, superum clarissime Phoebe.
Quattuor en Pharii glabra cervice leones
Custodes adstant lapidi, et diversa tuentes
Limpidam inexhaustis rejectant faucibus undam.
Nunc aditus vacui, nulla et spatiantibus obstat
Turba virum; certis contra solemnibus aegre
Inde pedem retrahes, populum quando excipit omnem
Deserta urbe forum. Summo tum vertice montis
Roboribus textis sublimis machina frontem
Delubri simulat. Conferti huc undique cives
Intendunt oculos, sponsa et spectacula corde
Praecipiunt; nam cum serus discessit ab Oeta
Hesperus, optatumque dedit Mars fulmine signum,
Continuo nova percellunt miracula mentem.
Jam rubra templum, viridi jam luce refulget,
Jam mille apparet stellis rutilantibus aptum.
Fontibus hinc subitis liquidas prorumpere flammas,
Et pleno Phlegetonta vides decurrere clivo.
Quin et terribiles visu facibusque corusci
Serpentes tenebras tranant, aliique rotarum
Orbibus affixi rapido sese agmine volvunt,
Vastaque curvatis spargunt incendia caudis.
Igneus ecce draco nubes supra volat, inde
Detonat, et centum moriens se vertit in angues,
Flagrantes totidem sinuatque per aera spiras.

Verum ubi vulcano reris considere lucum,
Innocui cecidere ignes, et quae modo late
Peste tenebantur, variis rident loca sertis.
Illudunt flores, proprio fulgentque nitore
Nocte sub obscura, cito vanescuntque caduci.
Dissiliens tandem magno cum murmure tellus
Immensum tollit supera ad convexa maniplum
Fulminibus junctis; concussum protinus axem
Luxque fragorque replent, at pulsa repente subit nox,
Et pictae toto veniunt ex aethere stellae.
  Annua sed redeunt ut saturnalia Romae,
Lymphataeque brevis dat plebi amentia leges,
Tum plateae partem, vico quae proxima, curva
Includit circus cavea, carpenta ubi cursum,
Emensis flectunt spatiis, ineuntque regressus
Agmine perpetuo; tacito labens rota motu
Alta Dicarchaeo vestigia pulvere signat.
Hinc atque hinc latet aulaeis obtenta theatri
Materies, via quaque patet vicina, fenestris
Atque domum podiis velorum sericus ordo
Defluit; innexis currus properique jugales
Luxuriant ramis simul ornatuque tapetum.
Tunc quoque non pauci montis petiere Quirites
Hospitium, quos nimirum prudentia segnes
E tuto belli suasit spectare labores.
Nam vehitur quae turba rotis cita, quaeque pedestris
Interius campi spatium tenet, altius et quae
Obsidit cuneos, nullo discrimine summis
Inter se coeunt studiis, pugnamque lacessunt.
Hoc tamen advertes quod non immitibus armis

Concurrant cives, madeat nec sanguine campus.
Pro gemitu moesto strictique sonoribus ensis,
Festivus clamor diffusus et undique risus
Impellunt aures, cum non nisi ludicra tela
Fasciculi florum pulchris et amicta cucullis
Dulcia sufficiunt. Albi tenues quoque gypsi
Usque volant baccae, crepitant et pulpita circum
Grandinis in morem; candenti turbine pulvis
Involvit turmas, siccis et faucibus haeret.
Non tamen absistunt armis, ipsumque jocoso
Femineum genus haud dubitat se credere Marti.
Per medium cum forte puer sese expedit agmen
Egregius forma, insidias animoque volutat,
Cautior hunc oculis dudum sortita puella
Excipit oblatum, plenis et missile gypsum
Depromens calathis, adverso conjicit; olli
Mentita extemplo pallescunt ora farina.
« Hoc habet » inclamat virgo, et ne talia telis
Ausa luat paribus, festina recedit, et ora
Crate levi tegit, inde hosti solatia victo,
Idalios flores et crustula dulcia dulci
Largitur dextra; sequitur quandoque manum cor,
Compositae et pacis pignus fit amabile taeda.

Incepta ni plus aequo lusisset aberrans
Musa via, larvis facies memorare novatas
Ridiculos cultusque juvet, salibusque facetis
Mordaces scurras, nec tu his indictus abires
Carminibus, puer, aedilis qui insigne protervus
Dum gestas, summa leges inscribis arena.
Sed me jam revocat plebis ludicra perosum

Pincius illecebris, secreto et lassa sedili
Flectere membra monet. Vario se futile passim
Vulgus agat studio, circumque petorita junctis
Proripiantur equis domini testantia fastum,
Amplius haudquaquam vatem praesentia tangunt,
Praeclaros secum recolit dum mente togatae
Annales gentis, Latii vel fata virosque,
Italiae qui evexerunt super aethera famam,
Vivi et circumstant Pario de marmore vultus.
Illustris coetus, quem alta tamen obruis umbra,
Summe pater, Pie, degeneris solum decus aevi
Et patriae splendor! Qualis cum lumine primo
Sol jubar exeruit nitidum, tunc caetera pallent
Astra polo, lucemque premunt, vultu ille sereno
Et noctem fugat et noctis radiantia signa.
Aspice, sunt siquidem et stellis sua nomina, quales
Et quantos tulit illa viros ditissima tellus.
Belliger hic ductor furto bonus et bonus armis,
Imperii fines, fines aequavit et orbis,
Ille novam scandit Minyis audentior Argo
Navita, non ulli et pelagi tentata priorum
Proscindens vada, supremis terrae appulit oris.
Rerum alter causas, naturae et operta retexit
Foedera, sive unus patitur dum vincula Titan,
Praescripsit cursus radio palantibus astris;
Aere alter saxove rudi spirantia duxit
Corpora, Phidiacum ut credas agnoscere coelum,
Nec tantum Cous meruit sibi laudis Apelles
Arte sua, quantum iste puer, quem flore juventae
Invida mors rapuit, populi flevere peremptum.

Eloquii quis, rostrorum tibi gloria, palmam
Contendet, Tulli? Vel Parnasso tibi quis non
Andine assurgat vates, seu frigida Tempe
Pastoresque canis, Phrygii seu bella tyranni?
Huc ades, et nostro dexter succurre labori;
Nam tu non adeo mendosum condere carmen
Das nobis, Baviique genus das temnere livens.
O mihi, ni Martis liceat contingere lauros,
Aoniis saltem crines redimire corymbis
Musa sinat, quondamque Pii celebrare triumphos!
Me miserum, quantus saevit nunc stridor ad auras,
In numerumque cavum, valido tundente lacerto,
Tympani onus sine more gemit! Rubia nisi fallunt
Ardentes bracae capiti et praefixa volucris,
Gallicus hos miles patria ciet arte tumultus,
Concentumque vocat; subitus tanquam ingruat imber,
Diffugit interea, geminis et, dum fugit, aures
Praecludit manibus turba; indignataque cessit
Ipsa Camena loco, votis neque flectitur ultra.
Ergo et nos, praeter quoniam nil restat, amatas
Linquamus sedes, vacuo raucumque sinamus,
Pasquino ridente, chorum strepitare theatro.



IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Petrus De Villanova Castellacci Archiep. Petrae, Vicesgerens.

ROMAE, TYPIS CIVILITATIS CATHOLICAE, MDCCCLXV.